

9 (*inserto in n. 11*)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

9 (inserto in n. 11)

1430 dicembre 16, Roma apud sanctos Apostolos

Martinus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Inter omnia pia opera et sacrificia accepta Deo maximus est preconiiis extollenda liberalis et pia subventio que protestatur a Christi fidelibus sacre religioni Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, que in insula Rodiensi adversus Sarracenorum, Turchorum et aliorum infidelium impetum et superbiam est tamquam turris fortitudinis et propugnaculum fortissimum constituta. Considerantes itaque quod eiusdem religionis profexores pro defensione catholice fidei non solum res et bona, verum etiam tamquam pugiles athlete Christi vitam propria expositione non formidant, dignum existimamus et debitum ut in eiusdem religionis vigentibus necessitatibus universalem utique ecclesiam in conservationem Christiane fidei concernentibus fidelium populum in illius auxilium etiam spiritualibus muneribus imutemus. Dudum siquidem, quod non sine mentis amaritudine recensemus, ad audientiam nostram fama publica referente perve // (218v) nit quod Sarraceni, Turci et alii infideles, propter successus suos in superbiam elevati, ad invadendum insulam Rhodi et confundendum religionem hospitalis eiusdem in exterminium Christiani populi cum formidabili potentia se dicuntur actingere insulam ipsam et fideles populos cumulatis viribus invasuri et miserabiliter oppressuri, nisi eorum potentie formidande Christi fidelium convocato presidio et adiutorio resistatur. Nos igitur, cupientes tantis periculis salubriter obviare et in premissis eo quo possumus remedio oportuno providere, volentes omnibus et singulis Christi fidelibus vere confexis et contritis, qui ad resistendum Sarracenis,

Turchis et infidelibus predictis pro defensione ipsius religionis se in personis propriis ad dictam insulam contulerint, quos in tam iusto bello seu conflictu per mare vel per terram seu captione aut ex vulneribus, plagis, infirmitatibus, tribulationibus erumpnis seu necessitatibus, afflictionibus, angustiis, captivitatibus seu dictorum hostium carceribus vel alias qualitercumque de facto presentialiter in bello vel postea, occasione tamen et causa predictorum vulnerum, plagarum, infirmitatum, inter Turchos vel alios infideles, si forsitan illos sclavos captivos fieri contingerit vel inter Christianos revertentes mori contingerit, plenissimam indulgentiam a pena et culpa in dicte mortis articulo de omnibus et singulis peccatis, delictis et offensis suis de quibus corde contriti et ore confexi fuerint vel corde contriti confiteri desideraverint, propediti tamen propter captivitatem dictorum fidei catholice perfidorum hostium vel morte preventi, adeo quod confiteri vel non potuerint, vel cum quo confiterentur non habuerint, de omnipotentis Dei salvatoris nostri misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi elargimur. Illis preterea qui pro subsidio eiusdem sacre religionis ad // (219r) dictam insulam alias loca de quibus prefatis magistro et conventui Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani videbitur ad resistendum insultibus infidelium eorundem se personaliter contulerint et per sex menses continuos pro defensione huiusmodi sine fraude fideliter laboraverint; nec non illi qui ad huiusmodi subsidium et resistantiam in propriis personis non interfuerint, dum modo loco sui ydoneos bellatores per totidem menses in hoc sanctissimo opere permansuros propriis sumptibus et expensis

destinaverint; illis quoque qui pro huiusmodi defensione personaliter voluerint aut commode ire non potuerint et non miserint bellatores, si de bonis eis a Deo collatis iuxta suarum facultatum valorem centesimam partem facultatum earumdem, hoc est unum de centum, iuxta dictamen conscientiarum suarum per defensione et subsidio huiusmodi predictis magistro et conventui aut eorum procuratoribus seu nuntiis erogarunt atque in effectu persolverint, ut confexor ydoneus quem quilibet eorum duxerit eligendum semel tantum in mortis articulo plenissimam remissionem omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confexi fuerint, eis in sinceritate fidei, unitate sancte Romane Ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus, auctoritate apostolica concedere valeat tenore presentium indulgemus. Sic tamen quod idem confexor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam per illos, si supervixerint, vel per heredes suos, si tunc forte transierint, faciendam iniungat, quam ipsi vel heredes huiusmodi facere teneant. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita in posterum commictenda, volumus quod si ex confidentia remissionis huiusmodi // (219v) aliqua forte commicterent que ad illa eis predicta remissio suffragetur. Ceterum ut ea que pro defensione et subsidio huiusmodi pia largitione fidelium donabuntur ad illum usum ad quem donata fuerint fideliter convertentur, omnibus et singulis locorum ordinariis auctoritate et tenore similibus destricte precipiendo mandamus quatenus ipsis magistro et conventui vel eorum procuratoribus seu nuntiis predictis circa recollectionem donatorum huiusmodi auxiliis et

consiliis oportune faveant et assistant gratis et sine alicuius premii exactione. Et ne pia intentio eorumdem fidelium qui partem de suis facultatibus ad tam santum opus erogaverint defraudetur, volumus quod recipientes et exigentes pro predictis magistro et conventui que receperint et exigerint in uno aut pluribus libris fideliter et ordinate describant et cuilibet diocesano copiam traddant de collectis in suo diocesi et diocesani predicti dictos libros debeant conservare et eos camere apostolice ac predictis magistro et conventui, quotiens opus erit et requisiti fuerint, ostendere teneantur. Presentibus post quinquennium minime valituris, volumus autem quod alie indulgentie peccaminumque remissiones Christi fidelibus pro defensione et subsidio religionis huiusmodi manus porrigentibus adiutrices aut in hoc pio opere personaliter laborantibus per nos concesse nihilominus in suo robore perdurant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre elargitionis, concessionis, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc actentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

1

2

3

4

*Così F**Così F**Così F**In F cancellato defensione*

5

Datum Rome apud sanctos Apostolos decimo septimo
kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Così F